

HS 2010

## Hygin, Fabulae – Textdossier

Der Kurs beginnt mit gemeinsamer Lektüre und Übersetzung der Texte in Abschnitt II. Als Hilfsmittel zur Vorbereitung der „Fabulae“ dienen können:

- *Hygini Fabulae*. Recensuit, prolegomenis commentario appendice instruxit H. I. Rose. Lugduni Bataurum apud A. W. Sijthoff 1933, 21963, 31967. (Edition des Originaltexts mit knappem lateinischen Kommentar).
- *Hygin: Fables*, texte établi et traduit par Jean-Yves Boriaud. Paris: Les Belles Lettres, 1997. (Edition des Originaltexts mit französischer Übersetzung und knappem Kommentar; mit Vorsicht zu benutzen).
- *Apollodorus' Library and Hyginus' Fabulae: Two handbooks of Greek mythology*. Translated, with introductions by R. Scott Smith and Stephen M. Trzaskoma. Indianapolis: Hackett Pub. Co., 2007. (Englische Übersetzung ohne den Originaltext, knapper Kommentar).
- *Griechische Sagen*, eingeleitet und neu übertragen von Ludwig Mader, aus dem Nachlass herausgegeben und ergänzt von Liselotte Rüegg, Zürich: Artemis 1960 (zahlreiche Reprints). (Einzige vollständige deutsche Übersetzung, ohne den Originaltext).

Für die Vorbereitung der Texte aus „De astronomia“ lassen sich benutzen:

- *Hygin: L'astronomie*, texte établi et traduit par André Le Boeuffe. Paris: Les Belles Lettres, 1983. (Edition des Originaltexts mit französischer Übersetzung und Kommentar).
- *Hyginus: Von der Astronomie (De Astronomia)*, übersetzt von Jürgen Wüllrich, Norderstedt: BoD 2009. (Deutsche Übersetzung, ohne den Originaltext).

Zu den übrigen Texten vgl. das Quellenverzeichnis am Ende dieses Dossiers.

## I. Einführung: Hygin als Schultext

### Lindauer: Roma B1 Lektion 50<sup>a)</sup>

Rex Oenomaus olim a deis monitus erat: „Cave mortem a genero!“ Itaque videbat, quomodo procos omnino ab Hippodamia filia prohiberet. Quia non ignorabat, quantopere equi sui ceteris celeritate praestarent, palam pronuntiavit: „Haec penitus animis mandate: Etiamsi forma filiae meae omnium admirationem excitat, virginem nemini nisi ei, qui me equorum cursu superaverit, uxorem dabo. Superati non impune abibunt: Protinus eos necabo.“ Quamquam regis verba omnium animos terrebant, iterum atque iterum iuvenes periculum temere adierunt.

Haec autem erat condicio certaminis: Dum adversarius avolat, rex Oenomaus Iovi bovem sacrificabat; tum demum currum ascendebat et equos incitabat; paulatim appropinquans iuvenem telo necabat. Iam multi iuvenes mortem obierant. Postremo Pelopi, Tantali filio, admodum adulescenti, quia Hippodamiam magnopere amabat, certamini interesse placuit, praesertim cum deorum auxilium speraret.

**Hyg. Fab. 84.1-3<sup>b)</sup>**

OENOMAEUS

Oenomaus Martis et Asteropes <Atlantis> filia filius habuit in coniugio Euareten Acrisii filiam, ex qua procreauit Hippodamiam, uirginem eximiae formae, quam nulli ideo dabat in coniugium quod sibi responsum fuit a genero mortem cauere. (2) itaque cum complures eam peterent in coniugium, simultatem constituit se ei daturum qui secum quadrigis certasset uictorque exisset, (quod is equos aquilone uelocios habuit), uictus autem interficeretur. (3) multis interfectis nouissime Pelops Tantali filius cum uenisset et capita humana super ualuas fixa uidisset eorum qui Hippodamiam in uxorem petierant, paenitere eum coepit regis crudelitatem timens. ...

**II. Hygin-Lektüre****Hyg. Fab. 185-206 / 252-256<sup>b)</sup>**

185 – ATALANTA

Schoeneus Atalantam filiam uirginem formosissimam dicitur habuisse, quae uirtute sua cursu uiros superabat. ea petiit a patre ut se uirginem seruaret. (2) itaque cum a pluribus in coniugium peteretur, pater eius simultatem constituit, qui eam ducere uellet prius in certamine cursu cum ea contenderet, termino constituto, ut ille inermis fugeret, haec cum telo insequeretur; quem intra finem termini consecuta fuisset interficeret, cuius caput in stadio figeret. (3) plerosque cum superasset et occidisset, nouissime ab Hippomene Megarei et Meropes filio uicta est. hic enim a Venere mala tria insignis formae acceperat, edoctus quis usus in eis esset. (4) qui in ipso certamine iactando puellae impetum alligauit. illa enim dum colligit et ammiratur aurum, declinauit et iuueni uictoriam tradidit. (5) cui Schoeneus ob industriam libens filiam suam dedit uxorem. hanc cum in patriam duceret, oblitus beneficio Veneris se uicisse, grates ei non egit. (6) irata Venere in monte Parnasso cum sacrificaret Ioui Victori, cupiditate incensus cum ea in fano concubuit, quos Iuppiter ob id factum in leonem et leam conuertit, quibus dii concubitum Veneris denegant.

186 – MELANIPPE

Melanippen Desmontis filiam, siue Aeoli ut alii poetae dicunt, formosissimam Neptunus compressit, ex qua procreauit filios duos. (2) quod cum Desmontes rescisset, Melanippen excaecauit et in munimento conclusit, cui cibum atque potum exiguum praestari iussit, infantes autem feris proici. (3) qui cum proiecti essent, uacca lactens ueniebat ad infantes et ubera praestabat. quod cum armentarii uidissent, tollunt eos ut educarent. (4) interim Metapontus rex Icariae a coniuge Theano petebat ut sibi liberos

procrearet aut regno cederet. illa timens mittit ad pastores ut infantem aliquem explicarent quem regi subderet. qui miserunt duos inuentos, ea regi Metaponto pro suis supposuit. (5) postea autem Theano ex Metaponto peperit duos. cum autem Metapontus priores ualde amaret, quod formosissimi essent, Theano quaerebat ut eos tolleret et filiis suis regnum seruaret. (6) dies aduenerat ut Metapontus exiret ad Dianam Metapontinam ad sacrum faciendum. Theano occasione nacta indicat filiis suis eos suppositicios priores esse: „Itaque cum in uenatione exierint, eos cultris interficite.“ (7) illi autem matris monitu cum in montem exissent, proelium inter se commiserunt. Neptuno autem adiuuante Neptuni filii uicerunt et eos interfecerunt; quorum corpora cum in regia allata essent, Theano cultro uenatorio se interfecit. (8) ultores autem Boeotus et Aeolus ad pastores ubi educati erant confugerunt; ibi Neptunus eis indicat ex se esse natos et matrem in custodia teneri. (9) qui ad Desmontem peruenerunt eumque interfecerunt et matrem custodia liberarunt, cui Neptunus lumen restituit. eam filii perduxerunt in Icariam ad Metapontum regem et indicant ei perfidiam Theanus. (10) post quae Metapontus duxit coniugio Melanippen, eosque sibi filios adoptauit, qui in Propontide ex suo nomine condiderunt Boeotus Boeotiam, Aeolus Aeoliam.

## 187 – ALOPE

Alope Cercyonis filia formosissima cum esset, Neptunus eam compressit. qua ex compressione peperit infantem, quem inscio patre nutrici dedit exponendum. (2) quidam pastor equam persecutus uidit infantem atque eum sustulit, qui ueste regia indutum cum in casam tulisset, alter compastor rogauit ut sibi eum infantem donaret. (3) ille ei donauit sine ueste; cum autem inter eos iurgium esset, quod qui puerum acceperat insignia ingenuitatis reposceret, ille autem non daret, contendentes ad regem Cercyonem uenerunt et contendere coeperunt. (4) ille autem qui infantem donatum acceperat, repetere insignia coepit, quae cum allata essent, et agnosceret Cercyon ea esse ex ueste scissa filiae suae, Alopes nutrix timens regi indicium fecit infantem eum Alopes esse, qui filiam iussit ad necem includi, infantem autem proici. (5) quem iterum equa nutriebat; pastores iterum inuentum infantem sustulerunt, sentientes eum deorum numine educari, atque nutrierunt, nomenque ei imposuerunt Hippothoum. (6) Theseus cum ea iter faceret a Troezene Cercyonem interfecit; Hippothous autem ad Theseum uenit regnaque auita rogauit, cui Theseus libens dedit, cum sciret eum Neptuni filium esse, unde ipse genus ducebat. (7) Alopes autem corpus Neptunus in fontem commutauit, qui ex nomine Alopes est cognominatus.

## 188 – THEOPHANE

Theophane Bisaltis filia formosissima uirgo. hanc cum plures proci peterent a patre, Neptunus sublatam transtulit in insulam Crumissam. (2) quod cum proci eam scissent ibi morari, naue comparata Crumissam contendere coeperunt. Neptunus ut eos deciperet, Theophanen in ouem commutauit formosissimam, ipse autem in arietem, ciues

autem Crumissenses in pecora. (3) quo cum proci uenissent neque ullum hominem inuenirent, pecora mactare coeperunt atque ea uictu consumere. (4) hoc Neptunus ut uidit, in pecora commutatos consumi, procos in lupos conuertit; ipse autem ut erat aries cum Theophane concubuit, ex quo natus est aries chrysomallus, qui Colchos Phrixum uexit, cuius pellem Aeeta in luco Martis habuit positam, quam Iason sustulit.

## 189 – PROCRIS

Procris Pandionis filia. hanc Cephalus Deionis filius habuit in coniugio; qui cum mutuo amore tenerentur, alter alteri fidem dederunt ne quis cum alio concumberet. (2) Cephalus autem cum studio uenandi teneretur et matutino tempore in montem exisset, Aurora Tithoni coniunx eum adamauit, petitque ab eo concubitum, cui Cephalus negauit, quod Procri fidem dederat. (3) tunc Aurora ait, „Nolo ut fallas fidem, nisi illa prior fefellerit.“ itaque commutat eum in hospitis figuram, atque dat munera speciosa quae Procri deferret. quod cum Cephalus uenisset immutata specie, munera Procri dedit et cum ea concubuit. tunc ei Aurora speciem hospitis abstulit. (4) quae cum Cephalum uidisset, sensit se ab Aurora deceptam et inde profugit in Cretam insulam, ubi Diana uenabatur. quam cum Diana conspexisset, ait ei, „Mecum uirgines uenantur tu uirgo non es; recede de coetu.“ (5) cui Procris indicat casus suos et se ab Aurora deceptam. Diana misericordia tacta dat ei iaculum, quod nemo euitare posset, et canem Laelapem quem nulla fera effugere posset, et iubet eam ire et cum Cephalo contendere. (6) ea capillis demptis iuuenili habitu Dianae uoluntate ad Cephalum uenit eumque prouocauit, quem in uenatione superauit. Cephalus ut uidit tantam potentiam canis atque iaculi esse, petit ab hospite, non aestimans coniugem suam esse, ut sibi iaculum et canem uenderet. (7) illa negare coepit. regni quoque partem pollicetur; illa negat. „Sed si utique,“ ait, „perstas id possidere, da mihi id quod pueri solent dare.“ ille amore iaculi et canis incensus promisit se daturum. (8) qui cum in thalamos uenissent, Procris tunicam leuauit et ostendit se feminam esse et coniugem illius; cum qua Cephalus muneribus acceptis redit in gratiam. (9) nihilo minus illa timens Auroram matutino tempore secuta eum ut obseruaret, atque inter uirgulta delituit; quae uirgulta cum Cephalus moueri uidit, iaculum ineuitabile misit et Procrin coniugem suam interfecit. (10) ex qua Cephalus habuit filium Arcesium, ex quo nascitur Laertes Vlyssis pater.

## 190 – THEONOE

Thestor mantis habuit Calchantem filium et Leucippen filiam et Theonoe, quam ludentem a mari piratae rapuerunt et detulerunt in Cariam; quam rex Icarus sibi in concubinatum emit. (2) Thestor autem filia amissa inquisitum profectus est, qui naufragio in terram Cariam uenit, et in uincola est coniectus ibi, ubi et Theonoe morabatur. (3) Leucippe autem patre et sorore amissis, Delphos petit an eorum foret inuestigatio. tum Apollo respondit, „Pro meo sacerdote per terras uade, et eos repe-

ries.“ (4) Leucippe sorte audita capillos totondit, atque pro iuvene sacerdote circum terras exit inuestigatum. quae cum in Cariam deuenisset et Theonoe eam uidisset, aestimans sacerdotem esse, in amorem eius incidit, iubetque ad se perduci ut cum eo concumberet. (5) illa autem quia femina erat, negat id posse fieri; Theonoe irata iubet sacerdotem includi in cubiculum atque aliquem ex ergastulo uenire qui sacerdotem interficeret. (6) quem ad interficiendum mittitur senex Thestor imprudens ad filiam suam; quem Theonoe non agnouit, datque ei gladium et iubet eum sacerdotem interficere. qui cum intrasset et gladium teneret, Thestorem se uocitari dixit; duabus filiis Leucippe et Theonoe amissis ad hoc exitium uenisse, ut sibi scelus imperaretur. (7) quod ille in se cum conuertisset et uellet ipsum se interficere, Leucippe audito patris nomine gladium ei extorsit; quae ad reginam interficiendam ut ueniret, patrem Thestorem in adiutorio uocauit; Theonoe patris nomine audito indicat se filiam esse eius. Icarus autem rex agnitione facta cum muneribus eum in patriam remisit.

## 191 – REX MIDAS

Midas rex Mygdonius filius Matris deae a Timolo <...> sumptus eo tempore quo Apollo cum Marsya uel Pane fistula certauit. quod cum Timolus uictoriam Apollini daret, Midas dixit Marsyae potius dandam. (2) tunc Apollo indignatus Midae dixit, „Quale cor in iudicando habuisti, tales et auriculas habebis.“ quibus auditis effecit ut asininas haberet aures. (3) eo tempore Liber pater cum exercitum in Indiam duceret, Silenus aberrauit, quem Midas hospitio liberaliter accepit atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret. (4) at Midae Liber pater ob beneficium deoptandi dedit potestatem, ut quicquid uellet peteret a se. <a> quo Midas petiit ut quicquid tetigisset aurum fieret. quod cum impetrasset et in regiam uenisset, quicquid tetigerat aurum fiebat. (5) cum iam fame cruciaretur, petit a Libero ut sibi speciosum donum eriperet; quem Liber iussit in flumine Pactolo se abluere, cuius corpus aquam cum tetigisset, facta est colore aureo; quod flumen nunc Chrysorrhoeas appellatur in Lydia.

## 192 – HYAS

Atlas ex Pleione siue Oceanitide duodecim filias habuit et filium Hyantem, quem ab apro uel leone occisum dum lugent sorores, ab eo luctu consumptae sunt. (2) ex his quinque primae inter sidera relatae locum habent inter cornua Tauri, Phaesyia Ambrosia Coronis Eudora Polyxo, quae a fratris nomine appellantur Hyades; easdem Latine Sucas uocant. (3) quidam aiunt in modum Y litterae positae inde Hyades dici; nonnulli quod cum orientur pluuias efficiunt (est autem Graece hyin pluere); sunt qui existiment ideo has in sideribus esse quod fuerint nutrices Liberi patris, quas Lycurgus ex insula Naxo ediderat. (4) ceterae sorores postea luctu consumptae sidera factae sunt, et quia plures essent Pleiades dictae. nonnulli existimant ita nominatas quia inter se coniunctae, quod est plesion; adeo autem confertae sunt ut uix numerentur, nec unquam ullius oculis certum est sex an septem existimentur. (5) earum nomina haec

sunt: Electra Alcyone Celaeno Merope Sterope Taygeta et Maia, ex quibus Electram negant apparere propter Dardanum amissum Troiamque sibi ereptam; alii existimant Meropen conspici erubescere quia mortalem uirum acceperit, cum ceterae deos haberent; (6) ob eamque rem de choro sororum expulsa maerens crinem solutum gerit, quae cometes appellatur siue longodes, quia in longitudinem producit, siue xiphias quia gladii mucronis effigiem producit; ea autem stella luctum portendit.

## 193 – HARPALYCUS

Harpalycus rex Amymneorum Thrax cum haberet filiam Harpalycen, amissa matre eius uaccarum equarumque eam uberibus nutriuit et crescentem armis exercuit, habiturus successorem regni sui postmodum; nec spes paternas puella decepit; nam tantum belatrix euasit ut etiam saluti fuerit parenti. (2) nam reuertens a Troia Neoptolemus cum expugnaret Harpalycum grauique eum uulnere affecisset, illa periturum patrem impetu facto conseruauit, fugauitque hostem. (3) sed postea Harpalycus per seditionem ciuium interfectus est. Harpalyce grauius tum ferens patris mortem contulit se in siluas, ibique uastando iumentorum stabula, tandem concursu pastorum interiit.

## 194 – ARION

Arion Methymnaeus cum esset arte citharae potens, rex Pyranthus Corinthius eum dilexit; qui cum a rege petiisset per ciuitates artem suam illustrare et magnum patrimonium acquisisset, consenserunt famuli cum nautis ut eum interficerent. (2) cui Apollo in quietem uenit eique dixit ut ornatu suo et corona decantaret et eis se traderet qui ei praesidio uenissent. quem cum famuli et nautae uellent interficere, petit ab eis ut ante decantaret. (3) cum autem citharae sonus et uox eius audiretur, delphini circa nauem uenerunt, quibus ille uisis se praecipitauit, qui eum sublatum attulerunt Corinthum ad regem Pyranthum. qui cum ad terram exisset, cupidus uiae delphinum in mare non propulit, qui ibi exanimatus est. (4) qui cum casus suos Pyrantho narrasset, iussit Pyranthus delphinum sepeliri et ei monimentum fieri. post paucum tempus nuntiatur Pyrantho nauem Corinthum delatam tempestate in qua Arion uectatus fuerat. (5) quos cum perduci ad se imperasset et de Arione inquireret, dixerunt eum obisse et eum sepulturae tradidisse. quibus rex respondit „Crastino die ad delphini monimentum iurabitis.“ (6) ob id factum eos custodiri imperauit atque Arionem iussit ita ornatum quomodo se praecipitauerat in monimento delphini mane delitescere. (7) cum autem rex eos adduxisset iussissetque eos per delphini manes iurare Arionem obisse, Arion de monimento prodit; quod illi stupentes qua diuinitate seruatus esset, obmutuerunt. (8) quos rex iussit ad delphini monimentum crucifigi. Apollo autem propter artem citharae Arionem et delphinum in astris posuit.

## 195 – ORION

Iouis Neptunus Mercurius in Thraciam ad Hyrieum regem in hospitium uenerunt; qui ab eo cum liberaliter essent excepti, optionem ei dederunt si quid peteret. ille liberos optauit. (2) Mercurius de tauro quem Hyrieus ipse eis immolarat corium protulit; illi in eum urinam fecerunt et in terram obruerunt, unde natus est Orion. (3) qui cum Dianam uellet uiolare, ab ea est interfectus. postea ab Ioue in stellarum numerum est relatus, quam stellam Orionem uocant.

## 196 – PAN

Dii in Aegypto cum Typhonis immanitatem metuerent, Pan iussit eos ut in feras bestias se conuerterent quo facilius eum deciperent; quem Iouis postea fulmine interfecit. (2) Pan deorum uoluntate, quod eius monitu uim Typhonis euitarant, in astrorum numerum relatus, et quod se in capram eo tempore conuerterat, inde Aegoceros est dictus, quem nos Capricornum dicimus.

## 197 – VENUS

In Euphratem flumen de caelo ouum mira magnitudine cecidisse dicitur, quod pisces ad ripam euoluerunt, super quod columbae consederunt et excafactum exclusisse Venerem, quae postea dea Syria est appellata; ea iustitia et probitate cum ceteros exsuperasset, ab Ioue optione data pisces in astrorum numerum relati sunt, et ob id Syri pisces et columbas ex deorum numero habent nec edunt.

## 198 – NISUS

Nisus Martis filius, siue ut alii dicunt Deionis filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur; cui responsum fuit tam diu eum regnaturum quam diu eum crinem custodisset. (2) quem Minos Iouis filius oppugnatum cum uenisset, a Scylla Nisi filia Veneris impulsu est amatus, quem ut uictorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit. itaque Nisus uictus a Minoe est. (3) cum autem Minos Cretam rediret, eum ex fide data rogauit ut secum auerteret; ille negauit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam. illa se in mare praecipitauit, ne persequeretur. (4) Nisus autem dum filiam persequitur in aem haliaeton, id est aquilam marinam conuersus est, Scylla filia in piscem cirim quem uocant, hodieque si quando ea auis eum piscem natantem conspexerit, mittit se in aquam raptumque unguibus dilaniat.

## 199 – SCYLLA ALTERA

Scylla Crataeidis fluminis filia uirgo formosissima dicitur fuisse. hanc Glaucus amauit, Glaucum autem Circe Solis filia. (2) Scylla autem cum assueta esset in mari lauari, Circe Solis filia propter zelum medicamentis aquam inquinauit, quo Scylla cum descendisset, ab inguinibus eius canes sunt nati atque ferox facta; quae iniurias suas exsecuta est; nam Vlysem praenaugantem sociis spoliauit.

## 200 – CHIONE

Cum Chione, siue ut alii poetae dicunt Philonide, Daedalionis filia Apollo et Mercurius una nocte concubuisse dicitur. ea peperit ex Apolline Philammonem, ex Mercurio Autolycum. (2) quae postea in uenatione in Dianam est locuta superbius; itaque ab ea sagittis est interfecta. at pater Daedalion unicam filiam flendo ab Apolline est conuersus in auem daedalionem, id est accipitrem.

## 201 – AVTOLYCVS

Mercurius Autolyco, ex Chione quem procreauerat, muneri dedit ut furacissimus esset nec deprehenderetur in furto, ut quicquid surripuisset, in quamcunque effigiem uellet, transmutaretur, ex albo in nigrum uel ex nigro in album, in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto. (2) is cum Sisyphi pecus assidue inuolaret nec ab eo posset deprehendi, sensit eum furtum sibi facere, quod illius numerus augebatur et suus minuebatur. (3) qui ut eum deprehenderet, in pecorum unguis notam imposuit. qui cum solito more inuolasset et Sisyphus ad eum uenisset, pecora sua ex unguis deprehendit quae ille inuolauerat et abduxit. (4) qui cum ibi moraretur, Sisyphus Anticliam Autolyci filiam compressit, quae postea Laertae data est in coniugium, ex qua natus est Vlysses. ideo nonnulli auctores dicunt Sisyphium. ob hoc Vlysses uersutus fuit.

## 202 – CORONIS

Apollo cum Coronida Phlegyaee filiam grauidam fecisset, coruum custodem ei dedit, ne quis eam uiolaret. cum ea Ischys Elati filius concubuit; ob id ab Ioue fulmine est interfectus. (2) Apollo Coronidem grauidam percussit et interfecit; cuius ex utero exsectum Asclepium educauit, at coruum, qui custodiam praebuerat, ex albo in nigrum commutauit.

## 203 – DAPHNE

Apollo Daphnen Penei fluminis filiam cum uirginem persequeretur, illa a Terra praesidium petit, quae eam recepit in se et in arborem laurum commutauit. Apollo inde ramum fregit et in caput imposuit.

## 204 – NYCTIMENE

Nyctimene Epopei regis Lesbiorum filia uirgo formosissima dicitur fuisse. hanc Epopeus pater amore incensus compressit, quae pudore tacta siluis occultabatur. quam Minerua miserata in noctuam transformauit, quae pudoris causa in lucem non prodit sed noctu paret.

## 205 – ARGE

Arge uenatrix cum ceruum sequeretur, ceruo dixisse fertur, „Tu licet solis cursum aequaris, tamen te consequar.“ Sol iratus in ceruam eam conuertit.



## 206 – HARPALYCE

Clymenus Schoenei filius rex Arcadiae amore captus cum Harpalyce filia sua concubuit. ea cum peperisset, in epulis filium apposuit patri; Clymenus pater re cognita Harpalycen interfecit.

<...>

## 252 – QUI LACTE FERINO NVTRITI SVNT

Telephus Herculis et Auges filius ab cerua. Aegisthus Thyestis et Pelopiae filius ab capra. Aeolus et Boeotus Neptuni et Menalippes filii a uacca. (2) Hippothous Neptuni et Alopes filius ab equa. Romulus et Remus Martis et Iliae filii ab lupa. Antiochus Nestoris filius expositus in Ida monte ab cane. (3) Harpalyce Harpalyci regis Amymneorum filia a uacca et equa. Camilla Metabi regis Volscorum filia ab equa.

## 253 – QVAE CONTRA FAS CONCVBVERVNT

Iocaste cum Oedipo filio. Pelopia cum Thyeste patre. Harpalyce cum Clymeno patre. Hippodamia cum Oenomao patre. (2) Procris cum Erechtheo patre, ex quo natus est Aglaurus. Nyctimene cum Epopeo patre rege Lesbiorum. Menephron cum Cyllene filia in Arcadia et cum Bliade matre sua.

## 254 – QVAE PISSIMAE FVERVNT VEL &lt;QUI&gt; PISSIMI

Antigona Oedipi filia Polynicen fratrem sepulturae dedit. Electra Agamemnonis filia in fratrem Oresten. Iliona Priami filia in fratrem Polydorum et parentes. (2) Pelopia Thyestis filia in patrem, ut eum uindicaret. Hypsipyle Thoantis filia patri, cui uitam concessit. Chalciope <Aetae> filia patrem non deseruit regno amisso. Harpalyce Harpalyci filia in bello patrem seruauit et hostem fugauit. (3) Erigone Icaris filia patre amisso suspendio se necauit. Agaue Cadmi filia in Illyrica Lycothersen regem interfecit et patri suo regnum dedit. Xanthippe Myconi patri incluso carcere lacte suo alimentum uitae praestitit. Tyro Salmonei filia propter patrem filios suos necauit. (4) In Sicilia cum Aetna mons primum ardere coepit, Damon matrem suam ex igne rapuit, item Phintia patrem. Aeneas item in Ilio Anchisem patrem umeris et Ascanium filium ex incendio eripuit. (5) Cleops et Bitias Cydippae filii. Cydippe sacerdos Iunonis Argiuae cum boues in pastionem misisset neque ad horam, qua sacra in monte ad templum Iunonis duci et fieri deberent, apparerent et essent mortui, quae nisi ad horam sacra facta essent, sacerdos interficiebatur; (6) inter quam trepidationem Cleops et Bitias pro bubus sub iugo se iunxerunt et ad fanum sacra et matrem Cydippen in plaustro duxerunt; sacrificioque peracto Cydippe precata est Iunonem, si sacra eius caste coluisset, si filii aduersus eam pii fuissent, ut quicquid bonum mortalibus posset contingere, id filiis eius contingeret. (7) precatione peracta plastrum et matrem filii domum reduxerunt et

fessi somno acquieuerunt <...<sup>1</sup>> at Cydippe diligenter agnouit nihil esse melius mortalibus quam mori, et ob hoc obiit uoluntaria morte.

#### 255 – QVAE IMPIAE FVERVNT

Scylla Nisi filia patrem occidit. Ariadne Minois filia fratrem <...> et filios occidit. Progne Pandionis filia filium occidit. (2) Danaides coniuges suos patruales occiderunt. Lemniades in Lemno insula patres et filios occiderunt. Harpalyce Clymeni filia filium, quem ex patris concubitu pepererat, occidit. Tullia Romanorum super parentis corpus currum duxit, unde Vicus Sceleratus est dictus.

#### 256 – QVAE CASTISSIMAE FVERVNT

Penelope Icarii filia uxor Vlyssis. Euadne Phylacis filia coniunx Capanei. Laodamia Acasti filia coniunx Protesilai. (2) Hecuba Cissei filia uxor Priami. Theonoe Thestoris filia <... Alcestis Peliae filia> uxor Admeti. Romanorum Lucretia Lucretii filia coniunx Colatini.

### III. Der Text: Überlieferung und Gestalt

#### Jacobus Micyllus: C. Iulii Hygini Augusti liberti fabularum liber, Vorrede iv-vi<sup>c</sup>)

<...>

Proinde cum superiore anno genealogias deorum, perinde ut à Bocatio ante annos aliquot collectae fuerant, hortatu amici nostri Ioannis Heruagij relegissem, & easdem ab innumeris mendis, quibus aeditio prior inuoluta atque obruta erat, castigatas excudendas dedissem: atque idem nuper alium quendam uetustum ac manu scriptum codicem, in quo per capita eadem res, atque idem argumentum ab Hygino (sic enim inscriptus liber is erat) tractabatur, uisendum & quoad eius fieri potest, emendandum quoque & restituendum dedisset, ego quia non paruam aut contemnendam laboris partem in eo opere posuissem, uideremque librum illum qualemcunque studiosis adolescentibus non inutilem aut ingratum fore, uolui laborem hunc meum excellentiae tuae claris. Otho dedicare, tuique nominis auspicio in lucem prodire.

<...>

Quanquam etiam si uel ad ipsum librum, uel ad operam, quam in castigando sumpsimus, aspicere uoles, ea quoque non paruam commendationis pondus habent. Est enim hic autor, ut quidem non ita purus atque elegans, adeo ut in quibusdam parum etiam latinus uideri queat, ita uetus tamen, & à reliquis Hygini scriptis, quae quidem ad nos peruenere, non omnino absimilis aut abhorrens: praecipue autem utilis ijs, qui in

<sup>1</sup> et mane mortui inuenti sunt *suppl. van Staveren*

humanioribus hisce studijs multum ac diligenter uersantur. Ex hoc enim non pauca quae tum apud Ouidium, tum apud alios plerosque poëtas minime hactenus, aut certe perperam intellecta sunt, intelligi & explicari tandem [p. v] posse uidentur, multaque hic plana iam atque expedita reperias, quae dudum magnos atque eruditos uiros uarie ac misere torserunt.

<...>

Porrò quantum laboris in emendando ac restituendo illo obeundum atque adeo exancilandum nobis fuerit, uel hinc coniecturam facere licet, quod primum ipse liber (qui beneficio excellentiss. D. Ioannis Vueyer Augustani, Frisingensis ecclesiae Canonici, ac M. Io. Chrumeri Canonici apud diuum Andream Frisingensem, Notarij integerrimi, necnon & Viti Chrumeri ibidem bonas literas non sine laude docentis, nobis communicatus est, quibus & sua gratia debetur, quod studia promouere, si qua datur occasio, non negligunt) is inquam liber, externis ac Longobardicis notis scriptus erat, in qua tamen re nonnihil adiuuit nos is, qui prior illum latine describendum ceperat, cuius nos exemplum principio ceu filum quoddam secuti sumus. Deinde quod ipsa uerba pleraque inter se ita impedita ac perturbata erant, ut alia nobis diuidenda, alia alijs abolenda: quorundam principium cum fine praecedentium, & rursum praecedentium quorundam finis cum principio sequentis coniungendus esset. Vt omittam, quàm multa uetustate oblitterata, expuncta atque [p. vi] corrosa fuere, quorum alia, aestimationem & coniecturas secuti restituimus, alia, ubi certum aliquid quod sequi possemus non erat, prorsus intacta reliquimus. Omnino autem nihil de quo non certo uel ex Graecis uel ex Latinorum poëtis constaret, immutatum, aut loco motum est, adeò ut in quibusdam etiam diuersam lectionem, iuxta alteram atque priorem adnotasse satis putarim. Non enim mihi placet quorundam emendandi ratio, qui omnino temere, & ut quicquam posse uidetur, continuo mutant, aliaque subinde pro ueris ficta supponunt.

<...>

### Hyg. Fab. 183

<sup>d)</sup>CLXXXIII EQUORUM SOLIS ET HORARUM NOMINA

Eos per hunc cælum uerti solet ethiops. quasi flammeus est qui coquit fruges. hi funales sunt. mares femine. iocarie / brontes / que nos tonitrua appellamus. steropeque / que fulgitrua. huic rei auctor est eumelus corinthius. item quos homerus tradit / abraxás. iother. be eó. item quos ouidius / peropereos. ethion. phlegethon.,. horarum uero nomina hec sunt. iouis saturni filie et themidis filie titanaide. auxo. eunomia. ferusa caria odice euporie. irene. ortesie tallo. alii auctores tradunt / / / decem his nominibus / auge. anatole. musia. gimmasia nim phes. mesembria; sponde / elete. actem. et hecypris. dysis.,.

## b)CLXXXIII EQUORUM SOLIS ET HORARUM NOMINA

Eous; per hunc caelum uerti solet. Aethiops quasi flammeus est, qui coquit fruges. (2) hi funales sunt mares. feminae iugariae, Bronte quae nos tonitrua appellamus, Steropeque quae fulgitrua. huic rei auctor est Eumelus Corinthius. (3) item quos Homerus tradit, Abraxas † iother beeo †<sup>2</sup>. item quos Ouidius, Pyrois Eous Aethon Phle-gon. (4) Horarum uero nomina haec sunt, Iouis Saturni filii et Themidis filiae Titanidis: Auxo Eunomia Pherusa Carpo Dice Euporie Irene Orthosie Thallo. (5) alii auctores tra-dunt decem his nominibus, Auge Anatole Musica Gymnastica Nymphe Mesembria Sponde † elete actem et †<sup>3</sup> Hesperis Dysis.

**Hyg. Fab. 66-76<sup>b</sup>)**

## 66 – LAIUS

Laio Labdaci filio ab Apolline erat responsum de filii sui manu mortem ut caueret. itaque Iocasta Menoecei filia uxor eius cum peperisset, iussit exponi. (2) hunc Periboea Polybi regis uxor cum uestem ad mare lauaret expositum sustulit; Polybo sciente, quod orbi erant liberis, pro suo educauerunt, eumque quod pedes transiectos haberet, Oedipum nominauerunt.

## 67 – OEDIPUS

Postquam Oedipus Laii et Iocastes filius ad puberem aetatem peruenit, fortissimus praeter ceteros erat, eique per inuidiam aequales obiciebant eum subditum esse Polybo, eo quod Polybus tam clemens esset et ille impudens; quod Oedipus sensit non falso sibi obici. (2) itaque Delphos est profectus sciscitatum de <...<sup>4</sup>> in prodigiis ostendebatur mortem ei adesse de nati manu. (3) idem cum Delphos iret, obuiam ei Oedipus uenit, quem satellites cum uiam regi dari iuberent, neglexit. rex equos immisit et rota pedem eius oppressit; Oedipus iratus inscius patrem suum de curru detraxit et occidit. (4) Laio occiso Creon Menoecei filius regnum occupauit; interim Sphinx Typhonis in Boeotiam est missa, quae agros Thebanorum uexabat; ea regi Creonti simultatem constituit, si carmen quod posuisset aliquis interpretatus esset, se inde abire; si autem datum carmen non soluisset, eum se consumpturam dixit neque aliter de finibus excessuram. (5) rex re audita per Graeciam edixit; qui Sphingae carmen soluisset, regnum se et Iocasten sororem ei in coniugium daturum promisit. cum plures regni cupidine uenissent et a Sphinge essent consumpti, Oedipus Lai filius uenit et carmen est interpretatus; illa se praecipitauit.(6) Oedipus regnum paternum et Iocasten matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreauit Eteoclen et Polynicen, Antigonom et Ismenen. interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipodis scelera,

---

<sup>2</sup> Soter Bel Iao *Bursian*

<sup>3</sup> *de uerbis elete.actem.et in cod. Φ nihil certi erui potest [Marshall]*

<sup>4</sup> origine sua. Laius cui *suppl. Micyllus*

interrogatusque Tiresias quid ita Thebae uexarentur, respondit, si quis ex draconteo genere superesset et pro patria interiisset, pestilentia liberaturum. tum Menoeceus Iocastae pater se de muris praecipitauit. (7) dum haec Thebis geruntur, Corintho Polybus decedit, quo audito Oedipus moleste ferre coepit, aestimans patrem suum obisse; cui Periboea de eius suppositione palam fecit; item Menoetes senex, qui eum exposuerat, ex pedum cicatricibus et talorum agnouit Lai filium esse. (8) Oedipus re audita postquam uidit se tot scelera nefaria fecisse, ex ueste matris fibulas detraxit et se luminibus priuauit, regnumque filiis suis alternis annis tradidit, et a Thebis Antigona filia duce profugit.

#### 68 – POLYNICES

Polynices Oedipodis filius anno peracto regnum ab Eteocle fratre repetit; ille cedere noluit. itaque Polynices Adrasto rege adiuuante cum septem ductoribus Thebas oppugnatum uenit. (2) ibi Capaneus quod contra Iouis uoluntatem Thebas se capturum diceret, cum murum ascenderet fulmine est percussus; Amphiaraus terra est deuoratus; Eteocles et Polynices inter se pugnantes alius alium interfecerunt. (3) his cum Thebis parentaretur, etsi uentus uehemens esset, tamen fumus se numquam in unam partem conuertit sed alius alio seducitur. (4) ceteri cum Thebas oppugnarent et Thebani rebus suis diffiderent, Tiresias Eueris filius augur praemonuit, si ex dracontea progenie aliquis interiisset, oppidum ea clade liberari. Menoeceus cum uidit se unum ciuium salutem posse redimere, muro se praecipitauit; Thebani uictoria sunt potiti.

#### 69 – ADRASTUS

Adrasto Talai et Eurynomes filio responsum ab Apolline fuit eum filias suas Argiam et Deipylam apro et leoni daturum in coniugium. (2) sub eodem tempore Polynices Oedipodis filius expulsus ab Eteocle fratre ad Adrastum deuenit et Tydeus simul Oenei et Periboeae captivae filius a patre, quod fratrem Menalippum in uenatione occiderat, fere sub eodem tempore uenit. (3) quod cum satellites Adrasto nuntiassent duos iuuenes incognita ueste uenisse (unus enim aprinea pelle opertus alter leonina), tunc Adrastus memor sortium suarum iubet eos ad se perducere atque ita interrogauit quid ita hoc cultu in regna sua uenissent. (4) cui Polynices indicat se a Thebis uenisse et idcirco se pellem leoninam operuisse quod Hercules a Thebis genus duceret et insignia gentis suae secum portaret; Tydeus autem dicit se Oenei filium esse et a Calydone genus ducere, ideo pelle aprinea se opertum, significans aprum Calydonium. (5) tunc rex responsi memor Argiam maiorem dat Polynici, ex qua nascitur Thersander; Deipylam minorem dat Tydeo, ex qua nascitur Diomedes qui apud Troiam pugnavit. (6) at Polynices rogat Adrastum ut sibi exercitum commodaret ad paternum regnum recuperandum a fratre; cui Adrastus non tantum exercitum dedit sed etiam ipse cum <VI> aliis ducibus profectus est, quoniam Thebae septem portis claudebantur. (7) Amphion enim

qui Thebas muro cinxit septem filiarum nomine portas constituit; hae autem fuerunt Thera Cleodoxe Astynome Astycratia Chias Ogygia Chloris.

70 – REGES SEPTEM THEBAS PROPECTI

Adrastus Talai filius ex Eurynome Iphiti filia Argiuus. Polynices Oedipodis filius ex Iocasta Menoecei filia Thebanus. Tydeus Oenei filius ex Periboea captiua Calydonius. Amphiaraus Oeclei, uel ut alii auctores dicunt Apollinis, ex Hypermestra Thestii filia Pylus. Capaneus Hipponoi filius ex Astynome Talai filia, sorore Adrasti, Argiuus. Hippomedon Mnesimachi filius ex Metidice Talai filia, sorore Adrasti, Argiuus. Parthenopaeus Meleagri filius ex Atalanta Iasii filia ex monte Parthenio Arcas. (2) hi omnes duces apud Thebas perierunt praeter Adrastum Talai filium; is enim equi beneficio ereptus est; qui postea filios eorum armatos ad Thebas expugnandas misit ut iniurias paternas uindicarent, eo quod insepulti iacuerant Creontis iussu, qui Thebas occuparat, fratris Iocastes.

71 – SEPTEM EPIGONI ID EST FILII

Aegialeus Adrasti filius ex Demoanassa Argiuus; hic solus periit ex septem qui exierant; quia pater exsuperauerat pro patre uicariam uitam dedit; ceteri sex uictores redierunt. (2) Thersander Polynicis filius ex Argia Adrasti filia Argiuus. Polydorus Hippomedontis filius ex Euanippe Elati filia Argiuus. Alcmaeon Amphiarai filius ex Eriphyle Talai filia Argiuus. Tlesimenes Parthenopaei filius ex Clymene nympa Mysius.<sup>5</sup>

72 – ANTIGONA

Creon Menoecei filius edixit ne quis Polynicen aut qui una uenerunt sepulturae traderet, quod patriam oppugnatum uenerint; Antigona soror et Argia coniunx clam noctu Polynicis corpus sublatum in eadem pyra qua Eteocles sepultus est imposuerunt. (2) quae cum a custodibus deprehensae essent, Argia profugit, Antigona ad regem est perducta; ille eam Haemoni filio, cuius sponsa fuerat, dedit interficiendam. Haemon amore captus patris imperium neglexit et Antigonam ad pastores demandauit, ementitusque est se eam interfecisse. (3) quae cum filium procreasset et ad puberem aetatem uenisset, Thebas ad ludos uenit; hunc Creon rex, quod ex draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, cognouit. cum Hercules pro Haemone deprecaretur ut ei ignosceret, non impetrauit; Haemon se et Antigonam coniugem interfecit. (4) at Creon

---

<sup>5</sup> *Am Seitenrand der Handschrift war nach Ausweis der Editio princeps an dieser Stelle folgender Text nachgetragen, der von Marshall als Hyg. Fab. 68 A gedruckt wird: Polynices Oedipodis filius anno peracto regnum ab Eteocle fratre Adrasto Talai filio adiutore repetit cum septem ductoribus et Thebas oppugnarunt. ibi Adrastus beneficio equi profugit. Capaneus contra Iouis uoluntatem Thebas se captum dixit, et cum murum ascenderet fulmine ab Ioue est percussus, Amphiaraus cum quadriga terra est deuoratus, Eteocles et Polynices inter se pugnantibus alius alium interfecerunt. his inferiae communes cum fiunt Thebis, fumus separatur quod alius alium interfecerunt. reliqui perierunt.*

Megaram filiam suam Herculi dedit in coniugium, ex qua nati sunt Therimachus et Ophites.

#### 73 – AMPHIARAUS ERIPHYLA ET ALCMAEON

Amphiarus Oeclei et Hypermestrae Thestii filiae filius augur, qui sciret si ad Thebas oppugnatum isset se inde non rediturum, itaque celauit se conscia Eriphyle coniuge sua Talai filia. (2) Adrastus autem ut eum inuestigaret monile aureum ex gemmis fecit et muneri dedit sorori suae Eriphylae, quae doni cupida coniugem prodidit; Amphiarus Alcmaeoni filio suo praecepit ut post suam mortem poenas a matre exsequeretur. (3) qui postquam apud Thebas terra est deuoratus, Alcmaeon memor patris praecepti Eriphylen matrem suam interfecit; quem postea furiae exagitarunt.

#### 74 – HYPPIPYLE

Septem ductores qui Thebas oppugnatum ibant deuenerunt in Nemeam, ubi Hypsipyle Thoantis filia in seruitute puerum Archemorum siue Ophiten Lyci regis filium nutriebat; cui responsum erat ne in terra puerum deponeret antequam posset ambulare. (2) ergo ductores septem qui Thebas ibant aquam quaerentes deuenerunt ad Hypsipylen eamque rogauerunt ut eis aquam demonstraret. illa timens puerum in terram deponere, apium altissimum erat ad fontem, in quo puerum deposuit. (3) quae dum aquam eis tradit, draco fontis custos puerum exedit. at draconem Adrastus et ceteri occiderunt et Lycum pro Hypsipyle deprecati sunt, ludosque puero funebres instituerunt, qui quinto quoque anno fiunt, in quibus uictores apiaciam coronam accipiunt.

#### 75 – TIRESIAS

In monte Cyllenio Tiresias Eueris filius pastor dracones uenerantes dicitur baculo percussisse, alias calcasse; ob id in mulieris figuram est conuersus; postea monitus a sortibus in eodem loco dracones cum calcasset, redit in pristinam speciem. (2) eodem tempore inter Iouem et Iunonem fuit iocosa altercatio quis magis de re uenerea uoluptatem caperet, masculus an femina, de qua re Tiresiam iudicem sumpserunt qui utrumque erat expertus. (3) is cum secundum Iouem iudicasset, Iuno irata manu auersa eum excaecauit; at Iouis ob id fecit ut septem aetates uiueret uatesque praeter ceteros mortales esset.

#### 76 – REGES THEBANORUM

Cadmus Agenoris filius, Amphion Iouis, Polydorus Cadmi, Laius Labdaci, Pentheus Echionis, Creon Menoecei, Oedipus Lai, Polynices Oedipi, Lycus Neptuni, Eteocles Oedipi, Zetus Iouis, Labdacus Polydori.

Hyg. Fab. 67-71A<sup>e</sup>)

- <cupidine uenissent, et> a Sphinge essent consumpti, Oedipus 67.5  
 <Lai filius uenit et car>men interpretatus est. Illa se prae  
 <cipitavit. Oedipus r>egnum paternum et Iocasten matrem 67.6  
 <inscius accepit uxo>rem, ex qua procreauit Eteoclen et Poly  
 <nicen, Antigonem et Ismen>en. Incidit Thebis sterilitas et pestilen  
 <tia ob Oedipodis scelera.> Interim Eriboea, Polybi regis uxor,  
 <quae ista omnia cogno>verat Sicyone Thebas uenit, <ea>que Oe  
 <dipodi ... ..> e. item Moenentes senex, qui eum <ex 67.7  
 posuerat, pedum cica>tricem cognouit: Lai filium esse dixit.  
 ... .. scelere ... .. audiens  
 ... ..  
 ... .. Adrastus Talai filius habuit 69A  
 <filias Deipylen et Argi>am: huic ab Apolline responsum fuit  
 <eam filias apro et leon>i daturum. Quod Tydeus Oenei filius,  
 <a patre in exilium pulsus qu>od fratrem Menalippum in uenando  
 <occiderat, pelle aprine>a tectus ad Adrastum uenit; eodem tem  
 <pore et Polynices Oedipo>dis filius cum ab Eteocle fratre e regno  
 <pulsus esset, pelle le>onis opertus uenit; hos Adrastus cum v<i>  
 dit, memor sortis Argiam Polynici, <Deipylam Tydeo in coniu>  
 gium dedit.  
 Adrastus Talai filius, Capaneus Hippo<noi filius, Amphi> 70A  
 araus Oeclei filius, Polynices Oedi<podis filius, Tydeus Oen>  
 ei filius, Parthenopaeus Atalantes <filius ... ..>  
 Aegialeus Adrasti filius, Polydorus Hi<ppomedontis filius, Sthe> 71A  
 nelus Capanei filius, Alcmaeon Amph<iarai filius, Thersander>  
 Polynicis filius, Biantes Parthenopaei <filius, Diomedes Tydei filius>.  
 Polynices Oedipodis filius anno peracto <regnum ab Eteocle fra> 68B  
 tre paternum <repetit>; ille ce<dere no>luit; <Polynices Thebas oppugnatum>  
 uenit. Ibi Capaneus quod contra <Iouis uoluntatem Thebas>  
 se capturum dixit cum murum asc<enderet fulmine percus>  
 sus <e>st. Amphiaraus <terra est deuoratus: Eteocles et Polynices>  
 depugnantes alius alium interfecer<unt. quibus cum Thebis>  
 parentatur, etsi uentus uehemens est <tamen fumus se numquam>  
 in unam partem uertit sed se in duas <partes seducit. ceteri cum>  
 Thebas oppugnarent et Thebanus <rebus suis diffideret ... ..>.



**Ps. Dosith. Hermen. IV. <Hygini genealogia><sup>f)</sup>**

Μαξίμωι καὶ Ἄπρωι ὑπάτοις πρὸ γ' ἰδῶν Σεπτεμβρίων, Ὑγίνου Γενεαλογίαν πᾶσιν γνω-  
στὴν μετέγραψα, ἐν ἣι ἔσσονται πλείονες ἱστορίαι διερμηνευμέναι ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ.  
θεῶν γὰρ καὶ θεάων ὀνόματα ἐν δευτέρῳ ἐξεπλέξαμεν, ἀλλὰ ἐπὶ τούτῳ ἔσσονται τούτων  
ἐξηγήσεις, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, τούτων μέντοιγε, ὧν ἐν τοσοῦτῳ δύναμαι. ζῳιγραφία τοι-  
γαροῦν τούτου τοῦ κόπου πολλοῖς τόποις δίδωσιν μαρτυρίαν, ἀλλὰ καὶ οἱ γραμματικοὶ  
τέχνης ταύτης οὐ μόνον ἐπαινοῦσιν τὴν εὐφυΐαν, ἀλλὰ καὶ χρῶνται. μῦθοι μὲν<τοι> τῶν  
ὄρχηστῶν ἔνθεν λαμβάνουσιν ἔπαινον καὶ μαρτυροποιοῦνται ἐν τῇ ὄρχήσει ἀληθινὰ τὰ  
γεγραμμένα. ἴνα δὲ εὐκόλως εὗρηις, ἐνὸς ἐκάστου ἐξήγησιν <ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀνα-  
γνώσεις>, πρῶτον οὖν πάντων Μουσῶν ἐννέα ὀνόματα καὶ τέχνας καὶ τέκνα καὶ οἷς ἐμί-  
γησαν, καὶ θεῶν ἰβ' ὀνόματα, καὶ ἑπτὰ ζῳιδίων, καὶ ἀστέρων δεκαδύο. <...>

**(5) Περὶ Προμηθέως**

Προμηθεὺς πῦρ κλέψας ἀπ' οὐρανοῦ, κρύψας εἰς νάρθηκα κατήνεγκεν ἀνθρώποις καὶ  
ἐμήνυσεν αὐτοῖς τηρεῖν εἰς τὴν κονίαν· δι' ἣν αἰτίαν Διὸς κελεύσαντος κατεδέθη ὑπὸ  
Ἑρμοῦ ἐν ὄρει Καυκάσῳ. καὶ ὑπεβλήθη αὐτῷ ἀετὸς, ὃς τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ δι' ἡμέρας  
ἐδαπάνα, νυκτὸς δὲ πάλιν ἀνεγεννῶντο. τοῦτον οὖν τὸν ἀετὸν <...>

&lt;...&gt;

**(11) <Περὶ Ταντάλου>**

<...> <καὶ> τὰ κάλλιστα τῆς ὀπώρας, ὅπως βλέπηι καὶ μὴ θιγγάνηι.

**(12) Περὶ Φιλύρας**

Κρόνος Δία πανταχῇ ζητῶν, μετεμορφώθη εἰς ἵππον καὶ Φιλύραν Ὠκεανοῦ θυγατέρα  
ἔγκυον ἐποίησεν, καὶ ἔτεκεν Χίρωνα τὸν κένταυρον, ὃς πρῶτος ἰατρικῆς εἰστήμης εὐρε-  
τῆς ἐγένετο. Φιλύρα δὲ αἰσχυνομένη διὰ τὴν ἀθεώρητον τοῦ τέκνου μορφήν θεῶν ἐλέει  
εἰς ὁμώνυμον δένδρον ἠλλάγη.

**(13) Περὶ Ὀδυσσέως· πῶς ἐδυνήθη Σειρήνας παρελθεῖν<sup>6</sup>**

Σειρήνες, Ἀχελώϊου καὶ Μελοπομένης Μούσης θυγατέρες, διὰ τὴν ἀρπαγὴν Περσεφόνης  
θρηνοῦσαι, κατέφυγον πρὸς πέτραν Ἀπόλλωνος, κάκεῖθεν συμβουλία θεῶν μετεμορφώ-  
θησαν εἰς ὄρνεα, κεφαλὰς μόνον ἔχουσαι <γυναικῶν>, κάκεῖ αἰδοῦσαι κατεῖχον τοὺς  
πλέοντας. καταλειφθεῖσαι οὖν ὑπὸ Ὀδυσσέως ἔρριψαν ἑαυτὰς εἰς θάλασσαν καὶ ἀπ-  
ώλοντο.

Maximo et Apro consulibus tertio Id. Septembres Hygini genealogiam omnibus notam  
descripsi, in qua erunt plures historiae interpretatae in hoc libro. deorum enim et dea-  
rum nomina in secundo explicuimus, sed in hoc erunt eorum enarrationes, licet non  
omnes, eorum tamen, quorum interim possum. picturae igitur huius laboris multis  
locis dant testimonium, nam et grammatici artis eius non solum laudant ingenium, sed

<sup>6</sup> πῶς ... παρελθεῖν in textu Flammini

et utuntur. fabulae quoque pantomimorum inde accipiunt laudem et testantur in saltatione uera esse quae scripta sunt. ut uero facilius inuenias <uniuscuiusque enarrationem> ex subiectis recognosces, primum ergo omnium Musarum nouem nomina et artes et filios, et cum quibus concubuerint, et deorum duodecim nomina et, septem zodi<aci>, et signorum duodecim.

de Prometheo	de Ixione
de Venere et Marte	de Medea
de Minerua et Neptuno	de Aeolo
de Actaeone	de Melanippe
de Daedalo	de Leda
de Apolline et Cassandra	de Alcyone
de Tantalo	de Anchise
de Philyra	de Iouis nutritu
de Ulixē	de Marsya
de hominum factura	de Minotauro
de cataclysmo	de Ioue <...>
de Pentheo	de armorum iudicio
de draconibus	de Argo
de Ioue et Iunone	de artium inuentione

(1) nunc incipiam a Musis scribere: Clio cytharam; cum Piero, natus Hymenaeus. Euterpe tragoediam; cum Strymone, natus Paeon. Thalia comoediam <...>. Melpomene †psalmodiam<sup>7</sup>; cum Acheloo, natae sunt Sirenae. Terpsichore tibiam; cum Neptuno, natus Eumolpus. Erato cytharam; cum Actaeone, natus Thamyras. Polyhymnia lyram; cum Hercule, natus Triptolemus. Urania siderum rationem; cum Apolline, natus Linus. Calliope poesin; cum Oeagro, natus Orpheus.

(2) DEORUM NOMINA DUODECIM

Iuno Vesta Neptunus Mars Ceres Venus Minerua Diana Latona Mercurius Apollo Iouis<sup>8</sup>

(3) SEPTEM ZODI<ACI> DIES

Saturni<sup>9</sup> Solis Lunae Martis Mercurii Iouis Veneris

(4) SIGNORUM DUODECIM NOMINA CUM RATIONE

Aries, quod fontem inuenerit iter facienti Libero. Taurus <a> Neptuno Ioui concessus est, quod sensum hominum habuit. Gemini Herculis et Thesei, quoniam similibus

<sup>7</sup> sic L, psalterium *Flammini*

<sup>8</sup> sic L, Zeus *Flammini*

<sup>9</sup> sic L, Saturni post Veneris transposuit *Flammini*

athlis fuerunt. Cancer, quod cum Hercule Hydram<sup>10</sup> occidit. Leo Nemeaeus<sup>11</sup>: consilio Iunonis natus est, quem occidit Hercules. Virgo Erigona, quae occiso patre se peremit. Libra: iusso Dianae Orionem occidit, quem Iupiter uoluit renasci. Sagittarius: hic cum Musis nutritus est, deuocabatur<sup>12</sup> autem Croton; hic fuit ingeniosus. Capricornus, quod Typhonem occidit. Aquarius: omnes artes sciebat et homines docuit. Pisces: hi ouum magnum ex mare protulerunt, unde exiuit Syria Dea, quae demonstraui hominibus, quae bona essent.

(5) DE PROMETHEO

Prometheus ignem furatus de caelo, abscondens in ferula detulit hominibus et demonstraui eis seruare in cinere, propter quam causam Iouis iusso abligatus est ab Mercurio in monte Caucaso et summissa est ei aquila, quae uiscera eius interdium<sup>13</sup> consumebat, per noctem autem iterum renascebantur. hanc ergo aquilam <...>

(11) <DE TANTALO>

<...> et optima pomorum ut uideret et non tangeret.

(12) DE PHILYRA

Saturnus Iouem ubique inquirens demutatus est in equum et Philyram Oceani filiam praegnantem fecit. et enixa est Chironem Centaurum, qui primus medicinae artis disciplinae<sup>14</sup> adiuuentor fuit. Philyra autem confusa propter inuisam filii figuram deorum misericordia in cognominatam arborem demutata est.

(13) DE ULIXE, QUEMADMODUM POTUIT SIRENAS TRANSIRE<sup>15</sup>

Sirenae, Acheloi et Melpomenae Musae filiae, propter raptum Proserpinae lamentantes confugerunt ad petram Apollinis et inde consilio deorum demutatae sunt in aues capita solum habentes <mulierum>, et ibi cantantes detinebant nauigantes. relictas ergo ab Ulixo proiecerunt se in mare et perierunt.

**Hyg. Fab. 144 / 82 / 138 / 125.13 / 141<sup>b</sup>)**

144 – PROMETHEUS

Homines antea ab immortalibus ignem petebant, neque in perpetuum seruare sciebant; quod postea Prometheus in ferula detulit in terras, hominibus que monstraui quomodo cinere obrutum seruarent. (2) ob hanc rem Mercurius Iouis iussu deligauit eum in monte Caucaso ad saxum clauis ferreis, et aquilam apposuit quae cor eius ex-

<sup>10</sup> ydram *L*, *Flammini*

<sup>11</sup> nemeus *L*, Nemeus *Flammini*

<sup>12</sup> diuocabatur *L*, uocabatur *Flammini*

<sup>13</sup> inper dies *L*, per dies *Flammini*

<sup>14</sup> sic *L*, disciplinae *ieicit Flammini*

<sup>15</sup> quemadmodum ... transire *in textu Flammini*

esset; quantum die ederat, tantum nocte crescebat. hanc aquilam post XXX annos Hercules interfecit eumque liberavit.

#### 82 – TANTALUS

Tantalus Iouis et Plutonis filius procreauit ex Dione Pelopem. (2) Iupiter Tantalum concredere sua consilia solitus erat et ad epulum deorum admittere, quae Tantalus ad homines renuntiauit; ob id dicitur ad inferos in aqua media fine corporis stare semperque sitire, et cum haustum aquae uult sumere aquam recedere. (3) item poma ei super caput pendent, quae cum uult sumere, rami uento moti recedunt. item saxum super caput eius ingens pendet, quod semper timet ne super se ruat.

#### 138 – PHILYRA QUAE IN TILIAM VERSA EST

Saturnus Iouem cum quaereret per terras, in Thracia cum Philyra Oceani filia in equum conuersus concubuit, quae ex eo peperit Chironem centaurum, qui artem medicam primus inuenisse dicitur. (2) Philyra postquam inuisitatam<sup>16</sup> speciem se peperisse uidit, petit ab Ioue ut se in aliquam speciem commutaret; quae in arborem philyram, hoc est tiliam, commutata est.

#### 125 – ODYSSEA

(13) tum ad Sirenas Melpomenes Musae et Acheloi filias uenit, quae partem superiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam. harum fatum fuit tam diu uiuere quam diu earum cantum mortalis audiens nemo praeteruectus esset. Vlysses monitus a Circe Solis filia sociis cera aures obturauit seque ad arborem malum constringi iussit et sic praeteruectus est.

#### 141 – SIRENES

Sirenes Acheloi fluminis et Melpomenes Musae filiae Proserpinae raptu aberrantes ad Apollinis terram uenerunt, ibique Cereris uoluntate, quod Proserpinae auxilium non tulerant, uolaticae sunt factae. (2) his responsum erat tam diu eas uicturas quam diu cantantes eas audiens nemo esset praeteruectus. quibus fatalis fuit Vlysses; astutia enim sua cum praenaugasset scopulos in quibus morabantur, praecipitarunt se in mare. (3) a quibus locus Sirenides cognominatur, qui est inter Siciliam et Italiam.

---

<sup>16</sup> sic Van Staveren, inusitatam F

#### IV. Hyginus – der Autor

##### Hyg. Astr. 2.12<sup>g)</sup>

PERSEUS. Hic nobilitatis causa et quod inusitato genere concubitionis esset natus, ad sidera dicitur pervenisse. Qui missus a Polydecte, Magnetis filio, ad Gorgonas, a Mercurio qui eum dilexisse existimatur talaria et petasum accepit, praeterea galeam qua indutus ex adverso non poterat videri. Itaque Graeci Ἄϊδος galeam dixerunt esse, non ut quidam inscientissime interpretantur eum Orci galea usum; quae res nemini docto potest probari. Fertur etiam a Vulcano falcem accepisse ex adamante factam, qua Medusam Gorgona interfecit; quod factum nemo conscripsit. Sed, ut ait Aeschylus traegediarum scriptor in Phorcisi, Graeae fuerunt Gorgonum custodes; de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus. Quae utraeque uno oculo usae existimantur et ita suo quaeque tempore accepto oculo vigilias egisse. Hunc Perseus una earum tradente exceptum in paludem Tritonida proiecit; itaque, custodibus excaecatis, facile Gorgona somno consopitam interfecit. Cuius caput Minerva in pectore dicitur habere collocatum. Evhemerus quidem Gorgona a Minerva dicit interfectam, de qua alio tempore plura dicemus.

##### Hyg. Fab. Praef. 1-7<sup>b)</sup>

Ex Caligine Chaos. ex Chao et Caligine Nox Dies Erebus Aether. ex Nocte et Erebo Fatum Senectus Mors Letum Continentia Somnus Somnia <Amor>, id est Lysimeles, Epiphron Hedymeles Porphyryon Epaphus Discordia Miseria Petulantia Nemesis Euphrosyne Amicitia Misericordia Styx; Parcae tres, id est Clotho Lachesis Atropos; Hesperides, Aegle Hesperie Aericia. (2) Ex Aethere et Die Terra Caelum Mare. (3) Ex Aethere et Terra Dolor Dolus Ira Luctus Mendacium Iusiurandum Vltio Intemperantia Altercatio Obiurio Socordia Timor Superbia Incestum Pugna Oceanus Themis Tartarus Pontus; et Titanes, Briareus Gyges Steropes Atlas Hyperion et Polus, Saturnus Ops Moneta Dione; Furiae tres, id est Alecto Megaera Tisiphone. (4) Ex Terra et Tartaro Gigantes, Enceladus Coeus †elentesmophius Astraeus Pelorus Pallas Emphytus Rhoeus †ienios Agrius †alemone Ephialtes Eurytus †Effracorydon Theomises Theodamas Otus Typhon Polybotes Menephiarus Abseus Colophomus Iapetus. (5) Ex Ponto et Mari piscium genera. (6) <Ex Oceano et Tethye> Oceanitides, Hestyaea Melite Ianthe Admete Stilbo Pasiphae Polyxo Eurynome Euagoreis Rhodope †lyris Clytia †teschinoeno Clitemneste Metis Menippe Argia. eiusdem seminis Flumina, Strymon Nilus Euphrates Tanais Indus Cephisus Ismenus Axenus Achelous Simois Inachus Alpheus Thermoodon Scamandrus Tigris Maeandrus Orontes. (7) Ex Ponto et Terra Thaumastus Ceto Nereus Phorcus. <...>

**Hyg. Fab. 64<sup>b)</sup>**

## ANDROMEDA

Cassiope filiae suae Andromedae formam Nereidibus anteposuit. ob id Neptunus expostulauit ut Andromeda Cephei filia ceto obiceretur. (2) quae cum esset obiecta, Perseus Mercurii talaribus uolans eo dicitur uenisse et eam liberasse a periculo; quam cum abducere uellet, Cepheus pater cum Agenore, cuius sponsa fuit, Perseum clam interficere uoluerunt. (3) ille cognita re caput Gorgonis eis ostendit omnes que ab humana specie sunt informati in saxum. (4) Perseus cum Andromeda in patriam redit. Polydectes <ut> uidit Perseum tantam uirtutem habere, pertimuit eum que per dolum interficere uoluit; qua re cognita Perseus caput Gorgonis ei ostendit et is ab humana specie est immutatus in lapidem.

**Hyg. Fab. 14.33<sup>b)</sup>**

Haec est nauis Argo quam Minerua in sideralem circulum retulit ob hoc quod ab se esset aedificata. ac primum in pelagus deducta est haec nauis, in astris apparens a gubernaculo ad uelum; cuius speciem ac formam Cicero in Phaenomenis exponit his uersibus:

at Canis ad caudam serpens praelabitur Argo,  
 conuersam prae se portans cum lumine puppim;  
 non aliae naues ut in alto ponere proras  
 ante solent, rostris Neptunia prata secantes;  
 sicut cum coeptant tutos contingere portus,  
 obuertunt nauem magno cum pondere nautae,  
 aduersamque trahunt optata ad litora puppim,  
 sic conuersa uetus super aethera labitur Argo.  
 inde gubernaculum tendens a puppe uolante  
 clari posteriora Canis uestigia tangit.

haec nauis habet stellas in puppe quattuor, in gubernaculo dextro quinque, in sinistro quattuor, consimiles inter sese; omnino tredecim.

**Hyg. Fab. 177<sup>b)</sup>**

## CALLISTO

Callisto Lycaonis filia ursa dicitur facta esse ob iram Iunonis, quod cum Ioue concubuit. postea Iouis in stellarum numerum rettulit, quae Septentrio appellatur, quod signum loco non mouetur neque occidit. Tethys enim Oceani uxor nutrix Iunonis prohibet eam in oceanum occidere. (2) hic ergo Septentrio maior, de qua in Creticis uersibus

tuque Lycaoniae mutatae semine nymphae,  
 quam gelido raptam de uertice Nonacrinae

oceano prohibet semper se tinguere Tethys,  
 ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae.

haec igitur ursa a Graecis Helice appellatur. (3) haec habet stellas in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armo unam, in pectore claram unam, in pede priore unam, in extrema coxa claram unam, in femine posteriori duas, in pede extremo duas, in cauda tres, omnes numero uiginti.

**Hyg. Astr. 2.37<sup>g</sup>**

ARGO. Hanc nonnulli propter celeritatem Ἄργώ dixerunt Graece appellatam, alii quod Argus eius fuerit inventor; hanc autem primam in mari fuisse complures dixerunt et hac re maxime stellis esse figuratam. Hanc navem factam Pindarus ait in Magnesia oppido, cui Demetrias est nomen, Callimachus autem in isdem finibus, ad Apollinis Actii templum, quod Argonautae proficiscentes statuisse existimantur in eo loco qui Pagasae vocatur, ideo quod navis Argo ibi primum compacta dicitur, quod est Graece πᾶγασαι; Homerus hunc eundem locum in Thessaliae finibus esse demonstrat. Aeschylus autem et nonnulli aiunt a Minerva quandam materiam loquentem eodem esse coniunctam, sed huius non tota effigies inter astra videtur; divisa enim est a puppi usque ad malum, significans ne homines, navibus fractis, pertimescerent.

**Hyg. Astr. 2.17<sup>g</sup>**

<....>

Alii autem dicunt hunc esse delphina qui Ariona citharoedum ex Siculo mari Taenarum travexit; qui cum ceteros artificio praestaret et circum insulas quaestus causa vagaretur, servuli eius, arbitrati plus in perfidiosa libertate commodi quam in placida servitute esse, cogitare coeperunt ut, domino in pelagus proiecto, bona eius inter se partirentur. Qui cum cogitationem eorum sensisset, petiit non ut dominus a servis et innocens ab improbis, sed ut parens a filiis, ut se liceret ornatum qua saepe vicerat veste, quoniam nemo esset alius qui ut ipse suum questu prosequeretur eventum. Quod cum impetrasset, cithara sumpta, suam coepit deflere mortem; quo sonitu ducti delphines e toto mari pronatant ad Arionis cantum. Itaque, deorum immortalium potestate invocata, super eos se deiecit; quorum unus Ariona exceptum pertulit ad Taenarium litus. Cuius memoriae causa quae ibi statua statuta est Arionis, in ea delphini simulacrum affixum videtur; pro qua re inter sidera ab antiquis astrologis est figuratum. Servi autem, qui se putarant servitute elapsos, tempestate Taenarum perducti a domino comprehensi non mediocri supplicio sunt affecti.

**Hyg. Astr. 2.21<sup>g</sup>**

TAURUS. Hic dicitur inter astra esse constitutus quod Europam incolumem transvexerit Cretam, ut Euripides dicit. Nonnulli aiunt, cum <Io> in bovem sit conversa, ut Iuppiter

ei satisfacere videretur, inter sidera constituisse, quod eius prior pars appareat ut tauri, sed reliquum corpus obscurius videatur; spectat autem ad exortum solis. Cuius oris effigiem quae continent stellae Hyades appellantur. Has autem Pherecydes Atheniensis Liberi nutrices esse demonstrat, numero septem; quas etiam antea nymphas Dodonidas appellatas. Harum nomina sunt haec: Ambrosia, Eudora, Pedile, Coronis, Polyxo, Phyto, Thyone; hae dicuntur a Lycurgo fugatae et praeter Ambrosiam omnes ad Thetin profugisse ut ait Asclepiades, sed ut Pherecydes dicit, ad Thebas Liberum perlatum Inoni tradiderunt. Quam ob causam ab Iove his gratia est relata quod inter sidera sunt constitutae. Pleiades autem appellatae sunt, ut ait Musaeus, quod ex Atlante et Aethra, Oceani filia, sint filiae quindecim procreatae, quarum quinque Hyadas appellatas demonstrat, quod earum Hyas fuerit frater, a sororibus plurimum dilectus; qui cum venans a leone esset interfectus, quinque de quibus supra diximus lamentationibus assiduis permotae dicuntur interisse; quare eas, quod plurimum de eius morte laborarent, Hyadas appellatas, reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte et earum septem mortem sibi conscisse; quare, quod plures idem senserint, Pleiadas dictas. Alexander autem Hyadas ait dictas quod Hyantis et Boeotiae sint filiae, Pleiadas autem quod ex Pleione Oceani et Atlante sint natae. Hae numero septem dicuntur, sed nemo amplius sex potest videre; cuius causa proditur haec quod de septem sex cum immortalibus concubuerint, tres cum Iove, duae cum Neptuno, una cum Marte; reliqua autem Sisyphi uxor fuisse demonstratur. Quarum ex Electra et Iove Dardanum, ex Maia Mercurium, ex Taygete Lacedaemona procreatum; ex Alcyone autem et Neptuno Hyriae, ex Celaeno Lycum et Nyctea natum. Martem autem ex Sterope Oenomaum procreasse, quam alii Oenomai uxorem dixerunt; Meropen autem Sisypho nuptam Glaucum genuisse, quem complures Bellerophontis patrem esse dixerunt; quare propter reliquas eius sorores inter sidera constitutam, sed, quod homini nupserit, stellam eius obscuratam. Alii dicunt Electram non apparere ideo quod Pleiades existimantur choream ducere stellis, sed, postquam Troia sit capta et progenies eius, quae a Dardano fuerit, sit eversa, dolore permotam ab his se removisse et in circulo qui arcticus dicitur constituisse et quodam longo tempore lamentantem, capillo passo, videri. Itaque e facto Cometem esse appellatam. Sed has Pleiadas antiqui astrologi seorsum a Tauro deformaverunt, ut ante diximus, Pleiones et Atlantis filias; quae cum per Boeotiam cum puellis iter faceret, Oriona concitatum voluisse ei vim afferre, illam fugere coepisse; Oriona autem secutum esse annos septem neque invenire potuisse; Iovem autem puellarum misertum inter astra constituisse et postea a nonnullis astrologis caudam Tauri appellatas. Itaque adhuc Orion fugientes eas ad occasum sequi videtur; eas stellas nostri Vergilias appellaverunt quod post ver exoriuntur et hae quidem ampliorem ceteris habent honorem, quod in earum signo exoriente aestas significatur, occidente autem hiems ostenditur, quod aliis non est traditum signis.



**Hyg. Fab. 2<sup>b)</sup>**

INO

Ino Cadmi et Harmoniae filia, cum Phrixum et Hellen ex Nebula natos interficere uoluisset, inuit consilium cum totius generis matronis et coniurauit ut fruges in sementem quas darent torrerent, ne nascerentur; ita ut, cum sterilitas et penuria frugum esset, ciuitas tota partim fame, partim morbo interiret. (2) de ea re Delphos mittit Athamas satellitem, cui Ino praecepit ut falsum responsum ita referret: si Phrixum immolasset Ioui, pestilentiae fore finem. quod cum Athamas se facturum abnuisset, Phrixus ultro ac libens pollicetur se unum ciuitatem aerumna liberaturum. (3) itaque cum ad aram cum infulis esset adductus et pater Iouem comprecari uellet, satellites misericordia adulescentis Inus Athamanti consilium patefecit; rex facinore cognito, uxorem suam Ino et filium eius Melicerten Phrixo dedit necandos. (4) quos cum ad supplicium duceret, Liber pater ei caliginem iniecit et Ino suam nutricem eripuit. Athamas postea, ab Iunone insania obiecta, Learchum filium interfecit. (5) at Ino cum Melicerte filio suo in mare se praecipitauit; quam Liber Leucotheam uoluit appellari, nos Matrem Matutam dicimus, Melicerten autem deum Palaemonem, quem nos Portunum dicimus.

**Hyg. Fab. 220<sup>b)</sup>**

CVRA

Cura cum quendam fluuium transiret, uidit cretosum lutum, sustulit cogitabunda et coepit fingere hominem. dum deliberat se cum quidnam fecisset, interuenit Iouis; rogat eum Cura ut ei daret spiritum, quod facile ab Ioue impetrauit. (2) cui cum uellet Cura nomen suum imponere, Iouis prohibuit suumque nomen ei dandum esse dixit. dum de nomine Cura et Iouis disceptarent, surrexit et Tellus suumque nomen ei imponi debere dicebat, quandoquidem corpus suum praebuisset. (3) sumpserunt Saturnum iudicem; quibus Saturnus aequus uidetur iudicasse: „Tu Iouis quoniam spiritum dedisti <...<sup>17</sup>> corpus recipito. Cura quoniam prima eum finxit, quamdiu uixerit Cura eum possideat; sed quoniam de nomine eius controuersia est, homo uocetur quoniam ex humo uidetur esse factus.“

**Hyg. Fab. 14.4<sup>b)</sup>**

hic Caeneus Elati filius, Magnesius, ostendit nullo modo Centauros ferro se posse uulnerare, sed truncis arborum in cuneum adactis; hunc nonnulli feminam fuisse dicunt, cui petenti Neptunum propter conubium optatum dedisse ut in iuuenilem speciem conuersus nullo ictu interfici posset. quod est nunquam factum, nec fieri potest ut quisquam mortalis non posset ferro necari aut ex muliere in uirum conuerti.

---

<sup>17</sup> animam post mortem accipe; Tellus quoniam corpus praebuit *exempli gratia suppl. Rose*

**Hyg. Fab. 143<sup>b)</sup>**

## PHORONEUS

Inachus Oceani filius ex Argia sorore sua procreavit Phoroneum, qui primus mortali-um dicitur regnasse. (2) homines ante saecula multa sine oppidis legibusque uitam exegerunt, una lingua loquentes, sub Iouis imperio, sed postquam Mercurius sermones hominum interpretatus est, unde hermeneutes dicitur esse interpres (Mercurius enim Graece Hermes uocatur; idem nationes distribuit), tum discordia inter mortales esse coepit, quod Ioui placitum non est. (3) itaque exordium regnandi tradidit Phoroneo, ob id beneficium quod Iunoni sacra primus fecit.

**Textquellen:**

- a) Joseph Lindauer / Klaus Westphalen / Reinhold Ernstberger / Hans Ramersdorfer: *Roma B, Band 1, Texte und Übungen*. Bamberg: Buchner 1984-1988.
- b) *Hygini Fabulae*, edidit Peter K. Marshall. Stuttgart/Leipzig: Teubner 1993 (Bibliotheca Teubneriana); München: K. G. Saur 2002.
- c) [Jacobus Micyllus:] C. IULII HYGINI AVGVSTI LIBERTI FABVLARVM LIBER, AD OMNIUM poëtarum lectionem mire necessarius & antehac nunquam excusus. EIVSDEM POETICON ASTRONOMICON, libri quatuor. *Quibus accesserunt similis argumenti*. PALAEPHATI de fabulosis narrationibus, liber I. F. FVLGENTII PLACIADIS Episcopi Carthaginensis mythologiarum, libri III. EIVSDEM de uocum antiquarum interpretatione, liber. I. ARATI ΦΑΙΝΟΜΕΝΩΝ fragmentum, Germanico Caesare interprete. EIVSDEM Phaenomena Graece, cum interpretatione latina. PROCLI de sphaera libel-lus, Graece & Latine. INDEX rerum & fabularum in his omnibus scitu dignarum copiosissimus. BASILEAE: APVD IOAN. HERVAGIVM, ANNO M. D. XXXV. [1535] MENSE MARTIO.
- d) Paul Lehmann: „Fragmente“. *Abhandlungen der Bayerischen Akademie der Wissenschaften (philosophisch-historische Abteilung)*, NF 23 (1944) 3-47.
- e) Barthold Georg Niebuhr: *M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta, T. Livii lib. XCI fragmentum, L. Senecae fragmenta, ex membranis Bibliothecae Vaticanae edita*, Romae 1820: pp. 105-107.
- f) *Hermeneumata Pseudodositheana Leidensia*, edidit Giuseppe Flammini. München/Leipzig: K. G. Saur 2004 (Bibliotheca Teubneriana).
- g) *Hygini De Astronomia*, edidit Ghislaine Viré. Stuttgart: Teubner 1992 (Bibliotheca Teubneriana).